Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1991

Quelle:
Copyright:

porro Praefatio de diverſo Hominum ad negotium Salutis habitu, de utilitate, quam Pii e *Pſalmorum* ſtudio haurire poſſunt, de eorum indole, et N. T. reſpectu, ubi cum Epiſtolis *Paulinis* contenduntur, de ratione verſionis, et quae Interpres maxime circa Dei Nomina obſervaverit. Initium eſt: *Todos los hombres en quanto en ſu primera criacion fueron criados a la imagen y ſemejanca de Dios, naturalmente deſſean inmortalidad y vida eterna.* &c. In ipſis *Pſalmis*, quae ad Hebraiſmos dilucidandos de ſuo adpoſuit Interpres, minio exarata ſunt. Cum vero in Praef. dicat, *Pſalmis* magis opus eſſe bona translatione, quam *Pauli* Epiſtolis, *por eſtar ellos en los libros latinos mas impropiamente trasladados*, oborta mihi eſt ſuſpicio, illum ad *Joh. Calvini* ſequaces pertinere. Itaque conſultis, quae ad manum ſunt, Verſionibus, diſcriminis, quod reperi, exemplum in *Pſalmi* I. v. 1. hic adſcripſi.

Codex Noſter:	Edit. Lugd. 1550.	Edit. Veneta 1557.	Edit. ſ. l. 1569.
Bienauenturado el varon que no ſigue el parecer de impios. ny ſe firma en camino de peccadores, ny ſe aſienta en aſentamiento de mofadores.	*O quan bien aventurado es aquel varon que no ſigue el conſejo de los impios, ni ſe para en el camino de los peruerſos, ni ſe aſienta en la ſilla de los burladores.*	*Bienauenturado es aquel varon que no anduuo en el conſejo delos maluados: ni ſe paro en el camino delos pecadores: ni ſe aſſento en la ſilla delos burladores.*	*Bien-auenturado el varon, que no anduuo en conſejo de malos, ni eſtuuo en camino de peccadores, ni ſe aſſentó en ſilla de burladores.*

Neque tamen iſtud diſcrimen tantum eſt, ut ſuſpicionem eximat. Ut porro e re nata de adductis Verſionibus aliquid addam, prima edita eſt: *En Leon* (Lugduni) *en Caſa de Sebaſtian Grypho.* 8. Hujus autorem ignoro, niſi quod *Longius* in *Bibl. ſacra* T. I. p. 364. ex *Indice Libror. probib. Johannem* quendam *Roſſenſem* adſerat *Pſalmorum* in Linguam *Caſtellanam* traductorem, qui utique non eſt *Joh. Fisherus* Ep. *Roſſenſis* Anglus. Verſio altera praefert quidem: *En Venecia en Caſa de Pedro Daniel.* 8. ſed typorum nitor, et quaedam cum tertia, de qua mox, conformitas potius *Baſileam* ſuadet. Ejus autor in Titulo dicitur D. *Joh. Perez*, de quo in *Nic. Antonii Bibl. Hiſp.* nihil praeter nomen, quod ipſum fortaſſe larva eſt. Tertia demum habetur